

Disputatio medica inauguralis de idiosyncrasiis ... / [Dietrich Valentin Kramer].

Contributors

Kramer, Dietrich Valentin, active 1692-1696.
Schrader, Friedrich, 1657-1704.
Universität Helmstedt.

Publication/Creation

Helmestadii : Typis Georg-Wolfgangi Hammii, [1696]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/tya3c69a>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE
IDIOSYNCRASIAS
Q V A M
DEO PROPITIO
CONSENSU, ET AUTORITATE AMPLISSI.
MEDICORUM IN ILLUSTRI ACAD. JULIA
ORDINIS
P RÆS I D E
VIRO CLARISSIMO
Dn. FRIDERICO SCHRADER
MED. DOCT. EJUSDEMQUE ET PHILOSOPHI
NATURALIS PROFESS. PUBL. ET ORD. FA.
CULTATIS MEDICÆ HODIE DECANO
SPECTABILI
DN. PATRONO, ET PRÆCEPTORE SUO OMNI
HONORIS, ET OBSERVANTIÆ CULTU ÆTA-
TEM PROSEQUENDO
PRO LICENTIA
SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES, ATQ
PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE CON-
SEQVENDI
PURLICÆ, ET SOLENNI DISQVISITIONI SUBFICIT
IN MAGNO JULEO
DIETERICH VALENTIN Kramer/
Medicus Seehusanus,
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS
A. d. xix. Jun. A. MDCXCVI.

HELMESTADII,
Typis GEORG-WOLFGANGI HAMMII, Acad. Typogr.



Thesis I.

Uamvis , quod magnopere dolendum ,
ita jam in re Medica comparatum sit , ut
quivis , etiam infelicissimo Musarum par-
tu natus , quivis vera Artis peritia desti-
tutus nugivendus circulator , Medici no-
men sibi arroget , nullique plures , quam arduo Me-
dicorum muneri sese ingerant ; longam tamen , & ar-
duam esse Medicam Artem , & non nisi sudore multo ac-
quiri , vel id documento est , quod & in minimis cir-
ca corpus humanū versatum esse deceat , quicunq; veri
Medici laudem sibi acquirere studet . Non enim jam di-
cam de morbo ipso Medico probè semper inquirendo ;
non de morbi causa exactè eidem investiganda ; non de
morbi ætate , & reliquis , quæ divinus Senex , libro de
affect. in omni morbo attendenda præcipit ; siquidem
his omnibus debitè non præcognitis , scopum Arti
præfixum attingere neutiquam licet . cum contra , gra-
viter sic errari , & cum famæ , & ægrotantis irrepara-
bili damno impingi posse , nemo non videat . Saltem id
hac vice afferam , restare adhuc alia quædam , medenti ,
antequam ad medendum se accingat , cognoscenda :
quorum certè considerationem si quis neglexerit , non
in curandis solum plurimis morbis frustra erit , sed
non raro etiam , ubi solari cupiet ægrotantem , eun-
dem magis lædet , & ubi salutare nitetur applicare re-
medium , toxicum propinabit .

II.

Minimè etenim sufficit ad curationem ritè instituendam , morbum ipsum intellectum , sed præterea multum hoc quoque facit cognitio ægrotantium ætatis , imprimis ad dosin debitam medicamentorum determinandam . Sic respiciendus pariter venit sexus , cum teste experientiâ , & huic innitente Hippocrate , de morb. mulier. lib. I. longè aliter affectus virorum , & mulierum morbi sese habeant , utpote in quibus cum partibus plurimis consentiens uterus solicè attendendus , nisi sterilem omnino eornndem curam suscipere quis velit . Et quantum non anni tempus bene consideratum , ad multorum morborum tum prognosticum , tum curationem , momenti affert ? Perspicet id facile , qui febrium interinntentium extirpationem non semper eandem , & æquè facilem esse cognovit . Accedit his temperamentum ; ubi sanè , an cacoçhymicus ægersit , an biliosus , an plethoricus , scire omnino expediet . Quibus omnibus denique Consuetudo , & Idiosyncrasia quoque ægrotantium accenseri merentur ; hæc enim non raro sola , quid agendum , quidque omissendum , ostendit .

III.

Scilicet , est Idiosyncrasia illud , quod , si ullum aliud , medelam sæpiissimè dirigit , & variat , illa interdum suadens , quæcunque vulgaris usus dissuadet , & contra dissuadens , quæcunque usus apta judicavit . Mirra hæc quidem videri possent ; sed quorum veritatem mecum agnoscat , quicunque in Praxi aliquo modo est versatus , & , quid in ea contingat , sedulus observavit . Cumque diutius huic contemplationi , quæ fructu

fructu neutquam destituitur , immorari , operæ pre-
tium duxerim , species Idiosyncrasiaæ hujus potiores
paulò dilucidius exponere, constitui : Deum ex animo
venerans , velit Is propitius huic labori meo adesse,
quò cœptam telam , tum ad Ipsius Divini Nominis
gloriam , tum ægrotantium emolumendum expedi-
re liceat.

IV.

De Idiosyncrasiis igitur acturus , per illas , vel vi
vocis id indicante , propriam intelligo , specialemque
corporum , seu individualem illam , naturâ insitam
proprietatem , quâ quidam v. gr. alias innoxia , imò
sæpe valdè salutaria ferre nequeunt , quidam noxia fe-
runt , aut alia ratione à communi hominum natura
differunt.

V.

Videntur , quæ pasim ab Autoribus circa hanc
rem annotantur , ad tres potissimum classes commo-
dè reduci posse ; dum alii 1. certas res planè aversantur ,
vel nimium appetunt : alii 2. quibusdam rebus vel
parum , vel nimis alterantur : rursus denique alii 3.
certam corporis functionem , vel auctam , vel immi-
nutam , vel depravatam habent.

VI.

Quod primam igitur Idiosyncrasiarum speciem ,
qua nonnulli certas res planè aversantur , attinet , per
omnes omnino sensus externos eadem se diffundere
deprehenditur. Atque sic , ut à sensuum nobilissimo
initium capiamus , multi certarum rerum visu ma-
gnopere offenduntur : qualis fuit ille , quem describit
Henr. ab Heer , in Obs. Medic. oppid. rar. ultima , qui

visâ angvillâ lipothymia gravi correptus : item aliis
vir militaris , quem ad conspectum phlebotomiæ epi-
lepsiam incurrisse , Philip. Salmuthus Cent. 2. O. 73.
memorat. Quod idem egregiè confirmat , quando
strenuos , & bellicosos Duces , sectam venam intuen-
tes , animo defecisse , perhibet Jos. Quercetanus Di-
æt. suo Polyhist. Sect. 1. cap. 8. ubi pariter magni cu-
jusdam Principis meminit , qui facilè adeo aspectu a-
licujus muris in cubiculo degentis perterritus , ut se
ipsum vix continere potuerit. Sic strenuum militem ,
quem rutæ aspectus in fugam vertit ; item Mantua-
num nobilem , qui erinaceum intueri non sustinuit ;
nec non ipsum Avenzoar , Medicum , quem sola vul-
neris inspectio in animi deliquium deduxit , affert
Marc. Donatus , in hist. Med. mirab. l. 6. c. 3 , quendam
gallum gallinaceum non ferentem ; & alium vetulæ
conspectu enectum , Joh. Schenkius à Grafenb. lib. 7. de
Idiosyncr. adducit. Qualem & fuisse Scaligerum , cresso-
nibus visis horrore perfusum ; nec non unum ex ejus-
dem liberis , brassicam abominantem , in Exercit. e-
jus 153. ad subtil. Cardan. videre est. Et spectant huc
illi , qui strictum ensim tolerare nequeunt : qualis e-
rat Jacobus , Angliæ Rex , qui proin equites non nisi
averso à gladio vultu creare valebat ; unde proverbium
reliquit :

Rex erat Elisabeth , nunc est Regina Jacobus.
Quin , quod magis mireris , exemplum prostat viri
generosi , qui nec gladios , nec hastas metuit , qui ta-
men conspecto acus acumine protinus animi deliqui-
um passus ; ceu ex Viri Excellentissimi propria obser-
vatione me notâsse , memini.

Progredimur ad reliquos sensus ; inter quos auditum porrò Idiosyncrasis suis obnoxium animadvertisimus. Sic quædam fœmina, coaxatu ranæ audito, lipothymiam incidit , nec nisi vino generoso sumto ad se rediit , teste Henr. ab Heer. in Obs. sua ultima. Alia campanæ sono , aut voce aliqua sonorâ perceptâ animo licta , quæ tamen remediis restituta , referente eodem Henr. ab Heer. l. c. Rursus alii auditio tonitru mirum in modum percelluntur : qualis fuit Cæsar Caligula , quem scribunt usque adeò , vel mediocriter intonante cœlo , formidine quassum , ut subterraneas latebras , amenti similis , percontaretur. Et quid demum notius , quam quosdam gallorum cantum , quosdam certarum rerum stridorem , quosdam ferramentorum tinnitus cane pejus , & angue execrari? Cujus generis & famosum illum Cæsareum Ducem Wallensteinum extitisse , verosimile est. Quemadmodum singularis quondam affectio erat Aicanoris , qui ad convivium deductus tibiarum cantum de nocte sine magna animi commotione non sustinuit , quem tamen interdiu optimè perferebat ; teste Hippocrate l. 5. de morb. popul. Nec de Gustu alia ratio est. Observamus enim passim , quæ plurimorum palato arrident , eadem à nonnullis prorsus respui alimenta. De caseo , & lacticiniis pervulgata , & quotidiane experientiæ innixa resest , adeò ut caseum non modo comestum , sed & solum ejusdem odoratum venenum evasisse , observatum sit. Et vid. de lacte Petr. Borellus Cent. 4. Obs. 61. Marc. Donatus , hist. medic. mirab. cap. 6. aliquie. Quemadmodum nec illorum

exem-

exemplis destituimur, qui ab omni cerevisiæ, & vini
usu abstinent. Sic fuerunt, qui Laetucam declinârunt,
teste Aldrovando, in hist. monstr. alii, quibus ova
formidinem incusserunt, adeò, ut solus eorum con-
taetus bullas in corpore excitârit, referente Borello
in Epilog. Cent. 4. Obs. Sunt porrò, qui cancroso-
dio prosequuntur, docente id quotidianâ experientiâ.
Sunt contra, qui cancros amant, & cæterorum animan-
tium carnes fastidiunt; quemadmodum talem, qui
nullo vesci poterat animali, sanguine prædito, can-
cros autem, & alia fluviatilia exanguia in deliciis ha-
bebat, recenset Salmuthus Cent. 2. O. 100. Sic Comi-
tem generosum, qui oleum olivarum, & omnia cum
eo parata edulia recusavit, recenset Horstius, annot.
ad L. Lemn. integrum familiam, cui malorum odium
innatum, Joh. Schenkius à Grafenb. l. 7. de Idiosyncr:
Virum quendam, qui nullum obsonii genus sale per-
mixtum comedere potuit, Marantha in Method. cogn.
simpl. lib. 3. c. 13. & contra juvenem, qui dulcia omnia
rejecit, & acidis potius, salsa, & austeri gustui suo
blanditus fuit Lusitanus Curat. 60. Cent. 6. Saltem
memorabile, & admiratione dignum, quod Bryernus
lib. 1. de re cib. c. 24. de Normanno rustico refert, qui
nec panem, nec carnes, nec pisces, nec caseum un-
quam degustavit, sed sola ova in cibum admisit, unde
& cognomen mustelæ, animalis ovorum avidissimi,
ei à vulgo impositum. A quo non multum discrepa-
vit Canonicus ille quadragenario major, qui solis pul-
tibus, quibus incunis alebatur, contentus vixit, & so-
lam putealem bibt aquam, teste Henr. ab Heer. in obs.
ultim. Et quid de olfactu dicendum? Videmus sanè
& hunc

& hunc per Idiosyncrasiani male dispositum aversari
res alias gratissimas. Quis rosas, & rosacea nonnullo-
rum naribus & naturis inimica crederet? Et tamen ex-
perientia id abunde confirmat. Sic Monachus quidam,
teste Amato Lusitano, quoties rosæ odorem persen-
tiscebatur, animi deliquium patiebatur. Et nobilis
quidam Anglus, referente insigni Boyleo, à rosarum
odore adeò abhorruit, ut cum nonnemo antipathiam
hanc experturus, illius dormientis genæ rosam impo-
suisset, pustulas statim in eadem exortas deprehende-
ret. Quin Episcopum rosarum fragrantia extinctum
scribit Mart. Cromerius, de reb. Polon. l. 8. Quemad-
modum etiam Medicum quendam rosâ, quam ma-
nu sua gestabat, ægræ suæ valde nocuisse, ex ore Ex-
cellentissimi Dn. Præsidis, Præceptoris mei ætatem
devenerandi, quondam notasse memini. Scilicet a-
deò id verum, ut & rosata quocunque modo talium
hominum corporibus applicita usus noxia declarârit.
Quod quidem experientia Medicâ insignis Thone-
tus exemplo virginis, quæ ex melle rosato per clysma
injecto lethalia incurrit symptomata, lib. i. Obs. Sect.
de Febr. Interm. egregiè commonstrat. Quid porro
notius, quam moschum, & ambram nonnullis, fœ-
minis præsertim, Vatiniano damnari odio? aliis ad-
versari odorem camphoræ? qua de re quotidiana sa-
tis testatur experientia. Sic quidam fraga ferre ne-
queunt, teste doctissimo Velschio ad Rumler. Obs. 69.
ubi pariter ipsius Rumleri, odore mororum rubi Idæi
lipothymici facti, exemplum recensetur. Et ut dantur
fœminæ, quæ, sive gravidæ existant, sive non gravidæ,
à fœtoribus vehementer abhorrent, & prava iis perce-

ptis experiuntur symptomata; de quibus habet Plinius hist. nat. l. 7. c. 7. sic contra dantur plures, quæ svaveolentia, & odorifera omnia execrantur; cuius rei etiam notabile imprimis affert exemplum Salmuthus Cent. 3. O. 71. in servocarnificis, qui pharmacopolium ingressus, & unguentorum, aliorumque pretiosorum fragrantiam naribus percipiens, animo lietus, cumque balsama à pharmacopœi ministris ipsi inuncta malum potius augerent, nonnisi ad cloacam à superveniente carnifice deductus restitui potuit: ceu idem ferè de rustico testatur L. Lemnius, de occ. rer. mir. l. 2. c. 9. Quibus accenserí possunt, qui peculiarem cum canibus, cattis, & muribus antipathiam fovent, adeò, ut sola eorum, vel latentium, præsentia lædantur; qua de re legi merentur. P. Borell. Cent 4 O. 61. & Henr. ab Heer. in Obs. ult. Tandem, ut discursum hunc finiamus, nec Taftus propriè dictus ab hujus Idiosyncrasiaæ efficacia prorsus est immunis. Reperiuntur quippe, qui auram commotam ferre nequeunt; ceu hujus rei exemplum adducit Salmuthus Cent. 3. O. 7. in paralytico, qui, quoties cubiculi fenestræ ventorum vehementius concuterentur, toties lipothymicus factus; quam tamen proprietatem pro malo in morbis signo ibidem agnoscit. Nec defunt Observationes illorum, qui manualem certarum rerum contactum horrent: id, quod in quodam amicorum me notâsse memini, qui vestimenta holosferica, quod molli adeo superficie essent prædita, contrectare non audebat.

VIII.

Contrarium planè occurrit in iis, qui nimio certarum

tarum rerum appetitu feruntur. Ubi quidem non nobis sermo de illis, qui occasione pravorum in corpore hærentium humorum, concurrente præsertim quodam imaginationis vitio appetitum tales incurruunt; hi enim, ut morbum Picam, vel Malaciam vulgo dictum, contrahunt, sic vel sponte iterum, vel debito Medicaminum usu eo liberantur, nec hujus proin fori sunt. Potius cum illis nobis hic res est, qui à teneris unguiculis, & per totum vitæ decursum appetitum certis quibusdam rebus mancipatum habent, nec ullam proin individualis suæ proprietatis curam admittunt. Sed nec horum exempla raro occurruunt. Sic puella adulta à prima infantili ætate calce parietum, & fragmentis laterum delectabatur, referente Ettmullero Prax. I. 1.c. 1. Nec parvam meretur admirationem puer ille Svinfurtenis, sex annorum, murarii filius, qui à tempore ablactationis statim cretam, arenam, pulverem ex angulis hypocausti collectum, vel ex calceamentis excussum, voravit, nec vel minis, vel verberibus, vel etiam adhortationibus coerceri potuit; adultior autem factus, carbones, lates, carnem crudam, calcem de parietibus, calcem vivam, lychnos cum ellychniis, corium, ossa, silices, varii generis insecta, sine noxa devoravit, & præter cafeum, panem, & aquam cibos omnes fastidivit: juxta M. A. N. C. dec. 1. an. 1. Obs. 83. it. an. 3. Obs. 179. Verum absurdorum hic, & à natura hominis prorsus alienorum est appetitus. Alii esculenta quidem, sed nimia quantitate eorum usum exigunt. Unde non singulos solum nimio tali quorundam desiderio teneri videoas; qualis fortè fuit Clemens VII, Pontifex Ro-

manus, quem usque adeò fuugorum quotidiano usui deditum fuisse, legitimus, ut ad defectum horum præcavendum, eorundem comensationem, publico edicto, per universam ditionem, prohibuerit; quâ tamen effreni instinctui facta licentiâ morbum sibi lethalem, & Curtio Medico planè incurabilem accersivit. Quin imò & integras familias plus æquo, sive solidorum, sive liquidorum quorundam amore flagrare, constat. Nec excludi hac classe possunt, qui naturali proprietate ducti certarum rerum, sive aspectum, sive odoratum, sive tactum deperditè magis amant; quemadmodum v. g. reperiuntur, qui corii, & similiū odorem cæteris omnibus vel suavissimè olentibus præferunt.

IX.

Pergimus ad secundam Idiosyncrasiarum speciem: ubi, quod primò iterum concernit illos, qui certis rebus parum alterantur, exemplis pariter non destituimur. Prodeant in scenam, qui vel fortissima, aliisque tanta dosi lethalia planè draſtica sine ulla noxa assumunt. Sic quendam hellebori totos manipulos sine noxa devorantem, Theophrastus de hist. plant. l. 9. c. 18. alium scammonium, idque ad drachmam unam, atque alteram, imo unciam integrum, citrā alvi laxationem ingerentem, Fallopius tr. de simpl. purg. c. 48. rursus alios, qui nullo eccoprotico subigi potuerunt, quibus tamen exhibita priorum unguum præsegmina & vomitum, & secessum concitârunt, Henr. ab Heer. in Obs. ult. recensent. Nec ignotum exemplum rustici, qui, cum adhibito in prægrandi dosi succo Esulæ nostratis, ex voto purgari non potuisset,

set, ad Medicum accessit, utque fortius sibi præscriberet evacuans, rogavit. Et collegit talia plura Brasav. in exam. simpl. pag. 236. Est sanè incredibilis complexionum, maximè in purgantibus adhibendis, differentia, quam nisi vel indicio ægri, vel usu rescriveris, non ex physiognomia, non ex corporis habitu, non aliunde facile cognoscas. Neque hic externo corporis robori, aut soliditati temerè fidendum: toties enim accidit, quadratos homines, & vastissimi habitus, lenissimis laxantibus vehementissimè purgari; cum contra alii violentissima quæque nihil morarentur. Atque tales multum Medicis faceſſunt negotii, cum ſi summam, conſvetamque doſin ſuperes, non ſemper pro voto res ſuccedat, illi verò, qui levibus quibusque moventur, adjustam purgantis doſin in hypercatharſin, animique deliquium facile prolabantur. Venena, vel alia nimia doſi sumta venenis non inferiora, ab aliis citra damnū ſubigi, poſſem exemplis plurimis evincere, niſi res nota eſſet. Quidam Opii doſi ingenti impunè utuntur; quemadmodum Vir ille, qui ſingulis diebus tres opii laminas, 10 drachmas, & amplius pendentes comedit, & tamen aptiſimè, & doctè de omnibus diſputavit, teſte Garzia ab Orta, Aromat. Ind. hist. I. 1. c. 4. Et notatu dignum, quod de vetula Galenus refert, illam cicutam, at, quantum venenum! præ omnibus appetitam, fine notabili danno devo-râſſe. Quo pertinet illa apud Albertum M. puella Cöloniensis, quæ in quotidianum cibum araneas vertit. Notiſſimum verò de Mithridate, Ponti Rege, eum venenis adeò aſſvetum, ut tandem, cum iis interfici cuperet, necari non poſſet. Quamvis neque hoc de

talibus venenivoris negandum , remanere tamen in his , habituque corporum imprimi aliquas veneni proprietates , & sanguinem humoresque illo inquinari , ut indiciis quibusdam interdum id se exerat , adeò , ut rem miram de puella venenis educata referat Avicenna , eam nempe omnes sibi appropinquantes vitâ privâsse . Sed fides esto penes Avicennam .

X.

Quemadmodum verò hi fortissimorum etiam assumtorum efficaciam eludunt ; sic alii temperamentum fovent omnino contrarium , & à certis quibusdam , vel alimentis , vel medicamentis nimiam mutationem suscipiunt . Referas huc pariter , quibus Camphora generosum nimis est remedium ; de quibus notabile in hysterica muliere vehementer ejus usu læsa habet exemplum Aug . Thonerus Obs . I . 3 . de morb . uter . c . 3 . Sic à certarum rerum comeditione morbos incurruunt alii : qualis fuit Joh . Heurnius , qui , id ipsus de se commemorans , quoties piper , vel raphanum comedit , colicis doloribus atrocissimis cruciari solitus ; quales & sunt omnes , quorum observationes passim occurruunt , qui certa alimenta , quibus vel maximè delectantur , assumere nequeunt , quin protinus Ventriculi , primarumque viarum incommoda inde sentiant . Et quot non porrò reperiuntur , qui alvum plus justo mobilem , & ad nutum obsequentem habent ? adeò , ut quidam lenissimis etiam purgentur jusculis : quemadmodum de matrona jure carnis bubulæ sufficienter laxata ; item de viro quadragenario , à capi , vel gallinæ jure idem experto , qui tamen vitellis ovorum coctis promtè iterum alvum firmavit , id confirmat

Henr.

Henr. ab Heer. in Obs. ult. Sic , quæ in plerisque a-
stringunt , in nonnullis alvum movere deprehendun-
tur : cuius rei , cum in Belgio degerem , evidens certè
suffragium ex Viri Excellentissimi ore me percepisse ,
recordor , qui in quibusdam decoctum balaustiorum ,
gallarum , serninis Sumach. alvum laxasse , propriâ ex-
perientiâ affirmabat. Idem de Mespilis , fructibus sa-
poris astringentis , nonnullos homines purgantibus ,
de castaneis , & aliis adstringentibus habet Cl. Pechli-
nus , Observationum elegantissimarum LXI , lib. II .
quam observationem pulchrè ita orditur : *Medicinae
difficultas plurimum inde augetur , quod , ut singulis cor-
poribus peculiaris insita est temperies , ita etiam non quæ-
vis promiscuè , sed alia atque alia pro illa conditione ad-
mittant medicamenta ; atque ipsum hoc tam abditum est ,
ut non antè certi ejus esse possumus , quam experimentum
rei fidem , & quod in ea cft peculiare , manifestaverit . Va-
ria quotidie , & paradoxa objicit experientia , quæ , si ad
rationis trutinam exigantur , inania videntur , ac falsa ,
sensuum tamen testimonio verisima . Hæc Pechlinus .*
Alias ad hanc classem quoque non injuriâ referas vi-
duam illam , quæ , cum ad roborandum stomachum
unum Elixiris stomachalis , ob dulcedinem Vini Gal-
lici spiritu temperati cochlear ebibisset , aliquoties in-
de purgata fuit , narrante id Mich. Lysero Obs. Cultr.
Anat. annex. n. 5. *Quin , quod certè mireris , sunt ,
qui solo medicamentorum odore purgantur : cuius
generis fuit Medicus quidam Lipsiensis , qui corpus
evacuaturus , pharmacopolia ingrediebatur , olfactis-
que Electuariis purgantibus , ibidem recens paratis ,
non aliter inde , atque alias pharmaco usus , dejecit ,*
teste

teste Salmutho cent. 3. Obs. 8. Quibus meritò addo
Viri cuiusdam, ex cuius propria relatione hæc habeo,
Idiosyncrasiam, qui hederâ terrestri manu fricatâ, ea-
demque naribus admotâ, pro lubitu 2. vel 3. sibi po-
test concitare sedes, ad febres pariter non parum hinc
proclivis. Nec incommodè huc mulierem illam tran-
scribas, cuius in A&t. Hafn. fit mentio, quæ audito to-
nitru fragore protinus alvum laxam experta; nisi ab
incusso hinc metu id evenisse dixeris. Sic ridicula
quondam proprietas fuit Vasconis equitis, qui perce-
pto phormingis sono, urinam continere non potuit,
scribente Scaligero Exerc. 344, ad Cardan.

XI.

Sed ad tertiam nunc Idiosyncrasiarum classem;
quæ ratione functionum evenit, devolvimur. Ubi
quidem illud ante omnia præmonendum, utut ad
morbos potius illa pertinere videatur, propterea quod
actionum læsionem involvat; teste tamen multiplici
experienciâ, naturam in certis subjectis eidem adeò
assuescere, ut, quod præternaturale in aliis audit, in
his naturale evadat; cuius proin ratione habita in hunc
individualium proprietatum censum referri illa me-
rebitur. Quod quidem per singula eundo constabit
rectius. Et facile, quod functiones auctas spectat, id
confirmabit exemplum ventricosorum, obesorum,
eorumque, in quibus nutritio justo liberalius proce-
dit: quales utut sæpius non parvo cum incommodo
vivere observentur, interdum tamen sic satis bene
valent, & cæterarum functionum integritate vel sa-
nissimis fastum faciunt. Et quid in fœminis non con-
tingit? quæ ob laudabilem humorum affluxum ni-
miam

miam interdum lactis copiam fundunt. Erat certè ex his Galla illa , quæ , teste Borello Cent. 3. O. 28. copiosum adeò quotidie lac emittebat , quantum non solum lactandis duobus infantibus , verum etiam , pro conficiendo ad curam phthisici butyro sufficiebat. Ast utinam non à quibusdam observationum collectoribus , tu rerum inauditarum tumore , & incredibilium strepitu in majorem admirationē Le&t;ores adigerent , talia interspergerentur , quæ prudentū hominum fidem excedunt: Alias huc pariter spectant illæ , quæ menstruā evacuationem auctam experiuntur : quarum aliæ stato mensium tempore copiosissimum sanguinem profundunt , quod in succulentis , & plethoricis frequentissimum observatur ; aliæ & gestationis suæ tempore excretionem hanc retinent , quod aliquot relationibus confirmat Velschius , Obs. Reusn. 99. rursus aliæ ætatis ratione modò citius , modò diutius menstruantur ; ceu fluxus hujus in Virguncula undecimo ætatis anno erumpentis , & contra in fœmina ad 76. durantis exempla recenset Balth. Timæus à Guldenk. l. 4. O. 13 & 14. Quin , quod puellæ quadrimæ menstrua describat Nicol. Tulpius : quem vid. Obs. l. 3. c. 36.

XII.

Et ha&tenus de habentibus functiones auctas. Quot non contra occurrunt Observationes eorum , qui certā quandam corporis functionem imminutam sentiunt , cætera sanissimi ? Sic sunt , qui rarò alvi beneficium experiuntur. Qualis certè proprietas matronis illis contigit , quæ cætera sanissimæ , & quotannis uterum gerentes , nunquam , nisi vigesimo die , vel serius alvinas feces deposuerunt ; nec non sacerdo-

C

ti cui-

ti cuiusdam religioso , qui post vigesimum' demum & quartum diem naturæ requisita persolvit , idque à puero : quorum exemplorum meminit Henr. ab Heer. Obs. ult. quibus paria recenset Salmuthus Cent. 2. O. 65. & 98. Sunt portio , quibus alia humoris excernendi excretio vel imminuitur , vel planè aboletur : cujus rei exemplum præbuit Medicus ille Milhavensis , qui temperamento utut pituitoso , & obeso præditus , nullum vel sputum , vel mucum ejecit unquam , teste Borello Cent. 2. O. 68. nec non vetula illa apud G. H. Velschium , cujus meminit Obs. Reusn. 99. quæ 16. liberos enixa nunquam menstruorum fluxum passa , nisi quod purgamenta à partu prodirent. Sed nec ista in alia prodiisse , à celebri quodam Italo Medico observatum ; ibidem legitur. Nec iniquè huc illos trahas , qui in ingestione , ut in egestione isti , deficiunt. Et referri huc quodammodo possent , qui , cum cætera omnia assumere valeant , pilulas tamen , easque minimas , & ubi vel maximè volunt , deglutire nequeunt ; qua de re quotidiana testatur experientia. Saltem classe hac excludi non possunt , qui ab esculentorum , & potulentorum usu sine notabili vitæ , & sanitatis dispendio diu abstinuerunt. Quibus certè annumerandus Vir ille , cujus meminit Borellus I. supra cit. qui 8. dies sine potu transegit , & mediis sub Caniculæ ardoribus silicibus ori insertis sitim fefellit : qualem & fuisse fœminam Coloniensem legimus , quæ interdum per 20. sæpe numero etiam per 30. dierum spatium ab omni cibo & potu abstinuit , quam ex Alberto M. citat Quercetanus Diæt. Polyh. sect. 2. c. 4. Sed harum non modò mirabilem , sed prodigiis.

giis similiū observationum veritatem tueantur Autores. Est autem casus memorabilis, quem proponit eruditissimus, & fide dignissimus Velschius Obs. Med. Episagm. 37. Planè autem singulare, & insuetum est, quod de puella Conflanensi per annum integrum, & de alia Helvetica ultra triennium sine cibo, & potu vixit antibus; nec non de quibusdam per omnem vitæ decursum nunquam vel sicutientibus, vel bibentibus, utentibus interim multis cibis sale confectis, & exsiccatis laudatus Quercetanus l. c. Athenæus l. 2. c. 2. alii que memorant. Quibus omnibus demum anumeres familiam illam Leodicensem, in qua cunctis utriusque sexus nares calore prorsus destitutæ semper frigebant, de qua legi meretur Henr. ab Heer. Obs. ult.

XIII.

Nec eorum desunt exempla, qui certam corporis functionem depravatam, & à communi naturæ lege alienam habent, cætera non minus sani, quam pisces. Quid non in ciborum in ventriculo retentione evenit? ubi quidam cibum deglutitum, antequam in stomacho debite retineant, pecudum more ad rumen revocant: qualem in condiscipulo suo describit Salmuthus Cent. I. O. 100. in alio Velschius Obs. Med. Epis. 36. Quid non in fecum alvinarum propulsione? & spectat notabilis huc imprimis de Viro generoso historia, qui multos annos ita vixit, ut sub meridiem pridianum prandium revomeret, retentis accuratisimè omnibus recentis ingestis, postridie illa ut hesterna egesturus, & putidisima quidem, nec ab alio stercore differentia, teste saepius memorato Henr. ab Heer. obs. ult. Sic ratione menstruæ evacuationis in sexu sequiori idem de-

prehenditur; dum modò per anacatharsin , modò per vomitum , modò per mammarum foramina , modò per verticem eandem cum euphoria contigisse constat : ceu Riverius Cent. O. 63. Timæus à Gul. denk. l. 4. cas. 12. Pechlinus l. 1. O. 38. & Kerkringius Obs. 85. id confirmant. Taceo , quæcunque de nonnullis scintillas ex artubus evibrantibus, Bartholinus Cent 3. hist. anat. 70. Borellus Cent. 2. O. 69. & Cent. 4. O. 43. de aliis noctu sine lumine clarè videntibus , insolitaque videndi acie præditis, Corn. Gemma l. 1. Cosmogr. c. 7. de olfactu quorundam exquisito , Campanel. de Sens. rer. lib. 3. c. 8. de aliorum velocitate , & fortitudine prodigiosa , Plinius hist. nat. l. 7. c. 20. de aliis alii referunt; sufficitque mihi indicasse potissima , ad quæ , tanquam ad communem fontem cætera commode reduci queant, quæ si enarrare singula vellem , materiæ ubertatem non mihi , me tamen illi defuturum lubens confiteor.

XIV.

Etsi autem, quò magis jam ab aliquo tempore, dum materiam pro hac dissertatione colligo , illam inspicio , eò intricatus , pluribusque difficultatibus involutum h̄ic esse causarum scrutinium , sentio ; conabor tamen aliquid , & , quod ordo nunc exigere videtur , ad propositarum Idiosyncrasiarum ætiologiam me conferam , inque dictis phœnomenis ex causis explicandis vires meas qualescunque porrò experiar. Unde , quod primam illam , quâ quosdam sensuum externorum certis subjectis magnopere lædi diximus , spectat speciem , illa , quæ est inter matrem & fœtum accurata connexio , h̄ic videtur supponenda. Non movebo nunc

nunc litigiosam illam, & diu in schola Medica agitatam
controversiam , an fœtus pars matris jure dicatur ?
Saltem hoc certum , & veritati quām maximè congru-
um , mirandam matri cum fœtu esse partium harmo-
niam , & resultare hinc functionum pariter miram in
utroque conformitatem. Nec ineptè proin cum ce-
lebri quodam Physico dixerim , imitari fœtum in ute-
ro positum motus , actionesque maternas : id , quod
in sensus maternos affidentibus imprimis obtinet. Non
mirum itaque , facta forti quadam per sensus externos
in matre impressione , notabiliter lædi fœtum. Hic
enim , cum mollis adeò existat , & partes habeat facile
dudu&tiles , damnum hinc capere potest ; quod quidem
pariter vel ipsa mater incurret , nî robustioribus il-
la , & externis injuriis fortius resistere aptis gauderet
membris In fœtum itaque cum factæ impressionis
~~in~~ⁱⁿ p̄yseis potissimum redundet , videas hinc tot miran-
dos imaginationis maternæ effectus , qui quidem inter-
dum in bonam edito infanti partem cedunt , sæpius
verò , imò sæpiissimè eidem nocent , & modò partium
quarundam defectum , modò earundem abundantiam ,
modò insolitam membrorum magnitudinem , confor-
mationem , perversum situm , atque connexionem ,
modò ipsarum functionum læsionem ei inducunt ; ceu
innumera celeerrimorum Practicorum de his anno-
tata exempla id abundè testantur , quorum recenset
nonnulla Thom. Fienus , illo , quem de virib. Imag.
scripsit , tr. quæst. 13.

XV.

Quæ cum ita sint , proximam quidem primæ il-
lius , inque omnimoda rerum quarundam aversione

fitæ Idiosyncrasiaæ causam ad singularem organorum
sentiendi dispositionem, remotam verò ad horrorem
matris adversam adeò dispositionem fœtus sensoriis in-
ducentem, referendam arbitrer. Notum sanè, gra-
vidas mulieres delicatissima interdum fastidio profe-
qui, & terreri rebus sæpe minimis, & rerum, ut sic
dicam, umbris. Quod si igitur ad oblatum ejusmodi,
sibique adversum objectum de improviso exhorrescat
mater, facile inde fiet, ut motum, qui horrorem hunc
peperit, in cerebro perceptum per filamenta ad uterum
terminantia propaget, mobilibusque adhuc infantis
nervulis eum ita imprimat, ut ad ultimam usque æta-
tem ejusdem vestigia permanere necessum sit. Atque
sic circa omnes omnino sensus singularesquasdam pro-
prietates contingere, videbimus. Ubi quidem illud
notatu dignum, magnam esse inter has sensuum ex-
ternorum proprietates cognitionem, magnam har-
moniam, sic, ut quod unus aversatur, id facile respuant
& reliqui: unde, qui nonnullarum rerum gustum
ferre nequeunt, earum interdum nec conspectum,
multò minus odorem tolerant. Quamvis neque hoc
negem, fortè adeò interdum à matre fœtui commu-
nicari impressionem, ut peculiare inde sanguinis, &
spirituum animalium emergat temperamentum: quod
quidem in illis, qui cum felibus antipathiam fovent,
clarum redditur, qui utut adversum sibi hostem nec
videant, nec olfacere propriè dici possint, illo tamē præ-
sente exhorrescant, anguntur, sudant, & animi deliquia
patiuntur, nulla alia de causa, quam, quod atmosphæ-
ra bruti pulmones & cerebrum hominis ingressa mo-
tum ibi toti ejus complexioni infensissimum excitet.

Et,

Et quid verbis opusest? dum ipsi in matribus partum prægressi casus fortuiti, qui propterea causæ occasio- nales rectè dici poterunt, nobis suffragantur. Quid enim v. g. Jacobo Regi tantam ensis formidinem in- cussit, nisi à matre grava de improviso conspectus, præque oculis ipsius fugientem trucidans gladius? Observabunt idem & reliquæ, quæ Idiosyncraticos ta- les in lucem ediderunt, mulieres, quæ ut plurimum percepti cujusdam, inque fœtum derivati horroris ra- tionem allegare poterunt. Quamvis & consuetudi- nis quædam hic sint partes; utpote quæ subtile nervorum fibrillas in certas res penitus determinando naturæ interdum vices sustinet: id, quod servi carni- ficiis suaveolentium proin odore magnopere læsi an- tea adducto exemplo sole meridiano clarius elucescit. Ubique casei osoribus speciatim & illud addendum, I- diosyncrasiam horum à lactis materni in mammis co- agulati suetū, unde fit, ut substantiam caseo similem nimis maturè gustent, commode nonnullis deduci.

XVI.

Quod de naturali quorundam averfione sic dixi- mus, id de appetitu certarum rerum aliis contra īge- nito contrario quodam modo prædicandum videtur. Ut enim in illa horror maternus fœtui inducit disposi- tionem rei fastiditæ oppositam; sic contraria in hoc gra- vidæ matris appetitus eidem crasin rei appetitæ con- formem procul dubio impresit; quam quidem crasin ipsum ventriculi fermentum, utpote in quo appetitus naturalis causa residet, tum potissimum contraxisse verosimile est; sic, ut à certo demum in animo conce- pto alimento blandius eodem commoto, & sequente

hinc blandâ sensibilis stomachi tunicæ vellicatione, e-
jusdem quoque dein alimenti desiderium sequi, dicen-
dum sit. Quod cum multis possim corroborare e-
xemplis, mihi unum, quo appetitus hæc in fœtum de-
rivatio apertè constat, ex Cl. Tulpio subjunxisse suf-
ficiat, qui Obs. Med. l.2. c.24. pro more suo eleganter ita
loquitur: *Mulier Daventriensis imprægnata delecta-
batur tam impensè hælicibus salitis: ut ante partum
comederit mille, ac quadringentos.* Attamen sine ven-
triculi offensa, ullo ve sanitatis dispendio. Fuit tamen
ipsa bis noxia; in se, ac in infantem. In se, quod nequi-
verit refrænare immodicum hoc salsamentorum desideri-
um. In infantem verò, quod ipsius appetitum mancipa-
verit adeò strictè huic servituti: ut cum necdum posset
verbis expetierit tamen ejulatu baleces, quibus se tam
effusè dederat mater, plus æquo sibi indulgens. Ubi &
pravam interdum consuetudinem pariter supervenire,
& appetitum determinare, & plurimum intendere,
experientia testis est, juxta prov:

Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

XVII.

Sed progredimur ad secundam Idiosyncrasiarum
speciem, in qua, & tertia quoque à nobis melioris or-
dinis causa constituta specie humorum consistenti-
am peculiarem, qualitates, certamque *diagnosi*, inter-
dum per signa manifestam, sæpissimè verò occultio-
rem subesse, arbitramur & hinc temperamentorum
specialem, ac propriam in aliis tolerandis, aliisque ex-
cludendis diversitatem potissimum oriri. Hinc mi-
rum non est, violentissima in corporis pituitosi sa-
burra esse invalida. Hinc mirificæ ventriculi nostri
sæpe sunt qualitates, ut, qui levioribus offenditur sæpe
magis

magis, quām durioribus cibis, & malē affectos frustra
excruciari mollibus, & facillimē aliās coquilibus vide-
mus, non ante quandoque convalituros, quām æquum,
& dignum isto fermento alimentum invenerint. Adeo-
que ordinariā viā incedendum in applicatione reme-
diorum quoque hīc non esse, usus Artis persuadet, ne
destruatur fermentum, quod servari debebat, sed huic
sæpe adeò paradoxo æquanda potius diæta, & metho-
dus, non tam medici industriā, quām ingeniosi appeti-
tus experimento reperiunda. Sed illos porrō in spe-
cie, qui certis rebus parum alterantur, examini hīc sub-
jicere fas est. Ubi quidem, quod vel fortissima dra-
stica sine noxa assumentes attinet, ad naturam horum
explicandā, ad pituitæ gluten aculeos humorumacer-
rimorū in viscans, & bilem, ejusq; crasim, ac indolem po-
tissimum respiciendum videtur. Notum siquidem ex
Physiologicis est, bilem potissimum in corpore nostro
esse humorem illum solventem, fundentem, &, quod
vulgò dici solet, vim assumtorum à potentia in actum
deducentem. Videmus hinc, ingesta plurima in ven-
triculo hærentia non nocere, quæ verò, simulac in
Intestinum duodenum, ubi bilis conjungitur, perve-
nerunt, damna sua exerunt. Atque hinc est, quod
divinus senex, ex oriente cane, & ante canis exortum
perdifficiles purgationes esse, l. 4. aph. 5. afferat; quod
nimirum præter magnam ab aere fervido factam hu-
morum solutionem, ob nimiam quoque tum bilis effi-
ciam, & acredinem facile nimiæ evacuationes suc-
cedant. A bile itaque cum assumtorum formalis ope-
randi ratio potissimum dependeat, facile inde erit col-
ligere, inertis eadem, ac debita activitate suâ destitutâ,

D

debi-

debitam quoque non sequi assuitorum solutionem ,
nec proin illam , quæ per medicamenta intendimus ,
corporis alterationem expectandam. Contingere ita-
que potest , ut certa quædam subiecta foveant bilem ,
naturâ suâ non ita fluidam , non ita volatilem , ac in-
plerisque esse solet , quæ certè ejusdem qualitas per in-
sequentem victus rationem , concurrente præsertim so-
lidiori ipsarum partium naturâ , porrò intendi potuit.
Ut proin non adeò mirum , si in his vel fortissima ca-
thartica eum , quem in aliis obtinent , alterandi scopum
non attingant. Utut'neque hoc in dubium vocem , sed
sedulâ circumstantiarum perpenzione convictus am-
babus largiar manibus , multum hic pariter conferre ,
siâ teneris rei cuidam assuescamus. Et pertinent hue
qui opium , & hujuscemodi generis narcotica vorant :
ad quorum hominum temperamentum licet climatis
quoque constitutionem multum facere quis dixerit ,
maximas tamen & hic quoque consuetudinis partes es-
se probabile est. Quemadmodum & in illis , qui ve-
nena in cibum verterunt , modò non rem omnem ad
singularem corporis præparationem , unde illud acqui-
rat vel facultatem veneni corruptivam , vel sanè illi
familiarem referas. Atque sic priori quidem modò
Mithridatem Regem confectionis suæ usu â venenis
tutum , reliquos verò posteriori , contractâ nempe ve-
nenorum assuetudine cum venenis similitudine , im-
munes ab iisdem mansisse , dicendum erit. Vid. Hie-
ron. Mercurialis , qui ubi tract. de venen. & morb. ve-
nenos. cap. 6. individualem hîc quorundam hominum
constitutionem pro causa agnoscit , & quomodo ve-
nena tales nutriant , inquirit , id confirmat.

XVIII.

Quod verò in corporibus difficulter mobilibus humorum crassities, & tenacitas spicula acriorum corporum infringens, retundensque imprimis & quoq; effœta, iners, crassa nimis bilis efficit, id in subjectis contraria dispositione præditis constitutio humorum illi opposita, bilisque fluida nimis, justo acrior, & penetrantior præstare deprehenditur. Videntur siquidem, quæ passim de his ab Autoribus annotata reperimus, id satis clarum reddere, copiosam admodum, & solito efficaciorem iisdem obtigisse bilem: unde non adeò mirum, si eadem ad motum per se jam satis disposita, ab accedente quodam in intestinis extrinseco, ad nimiarn operationē ducantur. Et spectat huc illud, quod Henr. ab Heer, adduxit de viro quadragenario exemplum, cuius ex adjunctis circumstantiis resultans temperamentum l. c. porrò ita explicat: *cum ego, inquit, ei febrenti à cholera, maximisque, & diuturnis animi patiematis, erat enim litibus implicatisimus, 3. Syrup. ros. solut. simpl. uncias præscripsisse, quo die jam sponte sexies dejecerat, decies novies à Syruo copiosè secessit: dabam illum syrum, quia cum biliosissima, imò sinceram bilem excerneret, verebar, ne intestinis adbærens in dysenteriam, quā olim tantum non internecina laborārat, ipsum præcipitaret &c.* Unde apparet liquido, in hoc subjecto nonnisi bilem individualis illius proprietatis fuisse causam. Hinc pariter Heurnius, quem usu piperis, vel raphani Colicam semper incurrisse, diximus, hujus rei rationem nonnisi ad nativam bilem, calidorum accessione auctam, intestinaque acrius vellicantem refert. Nec mirum, in nonnullis saccharata, & re-

liqua dulcia tot creare incommoda : cognitissimum
quippe est , plurimum acrimoniæ quorundam gin-
givis planè inimicum sub suo dulcore continere Sac-
charum , & dulcia referri inter illa, quæ facile bilesunt;
hoc est, fermentationes in corpore suscitant , & augent,
unde tum tempore æstatis , tum in subjectis biliosis , &
calidis , morbisque venenatis & contagiosis , nimium
præsertim eorum usum Practici interdicunt . Fer-
mentationatio siquidem est , quæ humores imprimis com-
movet , & pro gradu ebullitionis majore majorem
molestiam affert , maioresque turbas in corpore facit.
Atque hoc nomine Elixir illud stomachale , de quo in
th. 10. diximus , quodque nimia dulcedine præditum,
fuit, laxans evasisse, verosimile est. Nec obstat quod ,
quæ in aliis astringunt, in hujusmodi corporibus con-
trarium effectum fortiantur : siquidem & hæc succum
quendam fermentativum involvunt ; id , quod in cer-
tis fructibus pro diverso usu modò alvum constipan-
tibus , modò eandem laxantibus deprehenditur ; qua-
lis tum succus in subjectis mobili bile gaudentibus fa-
cile motum nimium , & naturæ quodammodo inimi-
cum suscipere potest. Quod quidem in hujusmodi
complexionibus , quarum sanguinis pariter , & spiri-
tuum mobilis erit constitutio , & in quibus tenerior
sæpe jungetur ipsarum partium textura , ab animi ali-
quo affectu , aliisque de causis moventibus externis
itidem evenire posse , nemo negaverit. Et respexit
procul dubio huc sæpius laudatus Thonerus , quando
Camphoræ noxam in calidiorem capitum constitu-
tionem , nonnullis fœminis peculiarem , cerebrumque ea-
rum imbecillius rejicit ; ceu loc. th. 10. cit. videre est.

XIX.

Restat, ut de tertia Idiosyncrasiarum specie, & primum iterum de illis, qui functione quadam corporis aucta laborant, paucis agamus. Occurrunt hic primum illi, in quibus nutritionis opus justo liberalius procedit. Quorum ratio ut patet, monendum ex Physiologicis est, humorem corpus nostrum nutrientem, singulisque ejusdem partibus temperiem suam conservantem esse sanguinem. Sanguis igitur prout erit constitutus, pro eo etiam constitutum erit corpus. Quod si igitur in subjectis quibusdam partibus modo nutritivis modo pinguibus & adiposis sanguis abundet, & praeterea (concurrunt enim interdum haec causae) partes ipsae moliores, & magis laxae existant, augeri inde nutritionem, & modo carnositatem, modo obesitatem in iis nimiam produci, mirum non est, praesertim cum in iisdem firmum organorum chylificantium robur, & laudabile suppeditatum alimentum causas antecedentes agant. Et sic se res habet in cæteris. Prout enim serositatibus multis redundat sanguis, pro eo etiam major lactis copia in fœminarum mammis colligetur: siquidem è sanguine, & hujus quidem serosa parte albicantem hunc prodire liquorem, nemo, qui ex candido chylo purpureum sanguinem fieri concedit, tantopere mirabitur. Et quid denique mirum, eundem sanguinem, si in sexu hoc naturali copia laboret, menstruationem ipsam modo immodicam, vel perennem, modo ratione ætatis præmaturam, vel magis diuturnam reddere? Servat sanè rerum genitrix natura hunc morem perpetuò, ut quod nimium, sibique inimicum sentit, per convenientia loca expellat.

In fœminis itaque cum mensium fluxus commodam præbeat evacuationis occasionem & viam , per hanc sanguinem deplere , molemque suam deponere amat. Et planè nobiscum sentit insignis Casuista Timæus à Guldenkl. dum loc. th. II. circa hancrem adductis non solum fœminam ad 76. ætatis annum menstruatam à constitutione sanguinea describit , sed eundem etiam menstruum fluxum undecimo ætatis anno erumpentem ad peculiarem potius puellæ complexionem refert , quæ , ut loquitur Vir doctissimus , adeò mature tantum sanguinis producit , ut in nutritionem corporis totus absumi non possit , unde tanquam superfluous , ne naturæ oneri sit , menstruatim excernitur. Id , quod etiam in aliis ab Hercule Saxonia , Fernelio , Schenkio , aliisque observatum ibidem legitur.

XX.

Quod functiones in aliis contra imminutas , velabolitas , & speciatim illos , qui à corpore excernenda diutius , vel planè retinent , concernit , videntur partim à consuetudine hæc procedere , quâ nonnulli , parum interdum humidi assumentes . & partium , cavitatumq; , à quibus excretio fieri debebat , minori sensibilitate & hebetiori , crassiorique forsan bile naturâ præditi , excernendorum stimulum præterire finunt , & sic longiori eorundem retentioni assuefcunt : partim etiam inde , quod quædam in corpore nostro retineri videantur , quæ tamen per alias , easque insolitas vias excernuntur. Sic æstatis tempore urinæ excretio imminuitur , quæ tamen sudore copiosius tum fluente compensatur. Sic in fœminis menstruus interdum fluxus per uterum non contingit , quem tamen per alia

alia tum, eaque insolitissima loca cum euphoria pro-
cedere, Practicis cognitisimum est. Estò igitur, in
certis subjectis per nares, & ductus salivales M. S. non
depurari: necesse tamen erit, humores excernendi a-
liam affectent viam, per quam sine notabili adeò sani-
tatis detrimento à corpore secedant: quemadmodum
idcirco gutturis viam in Medico illo Milhavensi reten-
tum sputum occupasse, qui propterea raro sitim per-
pessus, loquelæ autem quadam difficultate laboravit,
Borellus l. c. existimat. Sed diximus & de iis, qui in
ingestione deficiunt: ubi quidem ad rationem eorum,
à quibus pilularum deglutitio fieri nequit, explican-
dam, id potissimum considerandum videtur, licet a-
nimalis actio deglutitio nostra sit, subesse tamen fun-
ctioni huic aliquid naturale, & voluntati nostræ non
obediens: unde fit, ut conceptâ præ re assumenda nau-
seâ, pharynx pertinaciter in his se constringat, qui tum,
etiamsi toto animo deglutitio tentetur, & lingua obla-
tum sibi medicamen protrudat, constrictus manet, id.
que nullo modo admittit, id, quod in ingrato catapo-
tiorum pharmaco tum potissimum usu venire, mirum
non est. Quod verò de abstinentibus, & iis quidem,
qui à potu vel solito diutius, vel planè abstinere, por-
rò diximus, id vel temperamento horum humido, &
pituitoso, vel consuetæ vivendi rationi adscribendum
cum Quercetano arbitramur; qui ultimum illud exem-
plis hydropicorum probat, quos per diutinam à po-
tulentis abstinentiam affectu suo liberatos nunquam
dein liquidis uti voluisse constat, de quo vid. in Diæt.
Polyhist. Sect. 2. c. 4. decib. & Pot. Sed aliud fortè di-
cendum de iis, qui citra omnem cibi, potusque usum
vitam

vitam protraxerunt, & quos verè idcirco abstinentes,
sive $\alpha\sigma\tau\gamma\varsigma$ vocare licuit. Videtur sanè optimè ratio-
nem horum exposuisse Pechlinus, cuius proin elegan-
tem hac de re locum, quem habet in Medit. sua de aer.
& aliment. defect. c. ult. huc transcribere, operæ præ-
tium duximus. *Corpus nostrum*, inquit ille, *indies aliquid
amittit sui, modò plus modò minus*: *Si enim plus accedit
quam amittitur, incrassatur, si minus, gracilescit*; quod
si ex æquilibrio tot adjiciuntur particulæ, quot dispereunt,
est proportio quædam status, atque habitus corporei. Illa
dissolutio particularum corporis proximè à fluido subti-
liore oritur, externo, vel interno. De externo quidem
nemo facile concesserit, illud adeò nonnullis propitium es-
se, ut nihil deterat corpori, aliis contra tam inimicum,
ut omne ferè resolvat. Fieri tamen posse arbitror, ut
superficies corporum densitate sua, & ardore contextu
fluidi ambientis motibus aliquantum resistat, & sic humi-
da quoque jacturam patientur minorem. Quod facilius
credo, cum corpora nonnulla quoad externam cutem et-
iam in subterraneis, & nitrofis cryptis post mortem diu-
tissimè intemerata mansisse, certissimum habeam. Inter-
num verò fluidum, caloris ve hiculum, plurimum etiam
valere constat in particulis corporis dissipandis: nam
prout obliquè in solidiora impellitur, salis acumine quasi
pyramidalí comitatum, etiam solidiora profligat, potis-
sum verò humida, quod illa facilius à centro abeant,
& caloris motui obsequantur. Illud itaque calidum ex
naturali temperamento tam viscosis contineri particulis
potest, adeò solida quoque ipsa visco, seu tegumento ob-
duci, ut effectus ille insultantium particularum valde sit
obscurus, & ad permolendum minus efficax. Qui tamen
necessitatem

necessæ est, aliquas partes disperire, crediderim, non tam
crassiores istas, quam tenues & aquosas extra corporis
spb eram protrudi; atqui illas, cum pabulum ex aere ha-
bere possint, non mirum est inde instaurari: Quin &
spirituose, quas superesse adbuc dum muscularis motus
ostendit, illæ quoque aeris, tanquam corpori fœto & tur-
gido, conservationem sui debebunt; adeoque, cum nulla
sit solidorum sive appetentia seu egestas, utpote quæ mi-
nus sunt dissipabilia, sequitur, aere solo & corporis conte-
xtu proprio sustineri aliquamdiu vitam posse, imprimis,
si humido subinde interpolentur. Hactenus ille! qui quo-
modo & consuetudine inedia possit introduci, eruditè
porrò explicat, ubi de religiosorum & nautarum
abstinentia agit. Vid. Quercetanus. Diæt. Polyh.
sect. 2. c. 4. & qui tamen merè morbosam hic agnoscit
causam, Thonerus l. 3. Observ. de fastid. cib. c. 6. Tan-
dem, quod frigidam narium intemperiem, in certa
familia ab Henr. ab Heer. observatam attinet, licet nul-
lam ejus causam Autor afferat, verosimile tamen est,
nonnisi à peculiari dictarum partium conformatione,
quæ debitum sanguinis & spirituum influxum, cumq;
eo incalescentiam impedivit, eandem promanasse.

XXI.

Et ut de iis quoque, in quibus certa corporis fun-
&cio depravatur, pauca subjungamus, pertinet huc,
quod de illis, qui cibum ruminatum ventriculo com-
modius concoquendum reddiderunt, adduximus; de
quibus Vid. Joh. Rhodius Cent. 2. O. 59. Sed in promtu
magis illarū fœminarum erit ratio, quibus per insolita
toca menstrua processerunt. Cum enim in his ordina-
ria per uterus via obstructa fuerit, clausa, atque im-
pervia, quid mirum, si humor menstruus, effluxu

sibi per hanc partem denegato , alias , easque remotissimas s̄æpe quæsivit vias , iisque ceu commodioribus assuevit ? quod quidem in hujuscemodi corporibus , in quibus laudabilis alias sanguinis constitutio , & firmum extitit organorum robur , tum fieri utique necessum fuit . Sed ad eos tandem , quorum effluvia damna aliis inferunt , festino . Certum utique id , & extra omnem dubitationis aleam positum , prout cuiusvis hominis temperamentum , quod in sanguinis & spirituum animalium debita qualitate & influxu locamus , est constitutum , pro eo etiam esse constitutas excretiones , easque vel sensibiles , quæ per sudorem , urinam &c. vel insensibiles , quæ per insensibilem , quæ vocatur , diapnoen contingunt . Quod si igitur sanguis vitium aliquod contraxerit , & vel acrimonia vel alia quadam peregrina qualitate peccet , quid mirum , in excretionibus quoque , per quas natura heterogeneum excludere nititur , labem talem sese exserere ? Et sic insolitis quidem planè accensendum , quod ex Avicenna de puella narravimus , illam omnes sibi appropinquantes interemisse : quod si tamen illius nutritionem , ab incunabilis usque venenis peractam , consideramus , ex nutritione illa venenatum provenisse sanguinem , ex venenato sanguine venenata prodiisse corporis effluvia , quæ aliis veneno non assuetis attulerint vitae periculum , dicendum erit . Quemadmodum & fortassis illud , quod de quorundam hominum præsentia , tam hominibus , quam brutis , aliisque rebus noxia referunt Autores , nonnisi à peculiari sanguinis in talibus subjectis dyscrasia , unde effluvia quoque talem malignitatem induerunt , deducendum venit . Ut autem peregrinorum temperamentorum per-

regri-

regrina erunt effluvia ; sic contra dantur alii, quorum maximè naturalis est sanguinis, & spirituum temperies, quorum proin blandæ, saltem nemini molestæ erunt egestiones. Atque sic Alexandrum M. Heroicam suam mentem in optima custodivisse corporis dispositione, probabile est ; unde & sudore ejus odorem suavissimum spirâsse fertur. Sed aliter forsan explicanda Regum illorum, quorum non solum meminit antiquitas, sed quibus hodieque singularis in sanandis strumis efficacia adscribitur, proprietas. Licet enim ab individuali, & certis quibusdam familiis propria corporum temperie illam pariter deducere quidam velint; malim tamen moralem hic simul agnoscere causam, dicendo, conceptam præ Regia majestate reverentiam, & ortam hinc spirituum in humores peccantes dein agentium excitationem multum, si qua hic fiunt, efficer posse, ned dicam, totam implere paginam. Miri enim saepe sunt affectuum animi effectus, nec in creandas solum, sed & in fugandis morbis parva eorum efficacia deprehenditur : id, quod vel unico, ubi centum possem adducere, podagricorum quorundam, & arthriticorum exemplo patet, qui subito magnoque me tu correpti, interdum & ira commoti, subito, & in instanti doloribus suis liberati sunt ; ceu variæ variorum scriptorum observationes id abundè confirmant. Atque hæc de causis Idiosyncrasiarum, quantum pœtissimas earum attinet species, dicta sufficient.

XXII.

Procedimus ad ipsum nunc potius considerationis hujus usum. Ubi prima quidem fronte hæc quæstio sese offert, an dictæ Idiosyncrasiae curam sui ad-

mittant, nec ne? Sanè de illis, quæ in utero materno statim gignuntur, & à prima nativitate ortum habent, id nemo dixerit, esse curabiles. Quis enim vel Podalirius, aut Machaon illud dabit rectum, quod natura incurvavit; aut illa flectet, quæ natura in longum diduxit? Unde ad rem & ex vero Jos. Quercetanus loquitur, quando in Diæt. Polyh. Sect. I. c. de Timor. ita dicit: *At naturæ sunt quædam, & peculiares hominum proprietates, quæ avilinādēia, dicuntur, quibus hoc, vel illud citra apertam causam odimus, & metuimus, et si ab eo nibil incommodi pati possumus: atque bujusmodi naturales affectiones nullam curationem sui admittunt.* Sunt tamen & aliæ Idiosyncrasiae, non tam naturæ, quam consuetudinis vitio inductæ; quales certè, si recentior consuetudo fuerit, per contrariam assuetationem sæpe licebit corrigere: quemadmodum hinc illam strabismi speciem, quam infantes sola interdum oculorum in eunis contorsione contrahunt, contraria musculorum ophthalmicorum consuetudine curari videmus. Sed si inveterata consuetudo fuerit, si altas nimium jam in corpore egerit radices, aut si, quod vulgo dici solet, in alteram nunc transierit naturam, quid aliud dicendum, quam & constitutiones tali consuetudine illatas vix ac ne vix quidem emendari? Et videntur his obnoxii potius illi Genuensi similes, qui, cum ob delictum ad ergastula nautica condemnatus, durissimos ibi per 25. annos exercuisset labores, libertati tandem à Principe Doria restitutus, eam grato quidem animo accepit, sed mox ejusdem pertæsus rediit, & in pristinam iterum, cui assuetus erat, servitutem se ablegari petiit. *Est enim magna consuetudinis vis, quæ post-*

*postquam semel in valuit, peregrina quæque ut solita ob-
iectat, omnia per unam illam levia accepta, quantum
vis alias dura; ut scite loquitur laudatus Pechlinus in
medit. de aer. & alim. defect. c. ult.*

XXIII.

Sed quæ tandem contemplationis hujus utilitas? An, quod plurimarum sic Idiosyncrasiarum nulla est medela, earum propterea cognitio usu destituitur? Plane non. Est enim vel hic usus longè maximus, immò insignis; potestque statui duplex, unus Prognosticus, Curatorius alter. Quod Prognosticum attinet, in eo hic consistit, ut si quod naturale vitium in ægroto deprehendamus, id, etiamsi per se malum sit, pro adeò malo non pronunciemus. Fuit tale vitium in duobus fratribus causone correptis nasus frigens, qui propterea, utut Medici mortis dederint prognosticon, ambo evaserunt, teste Henr. ab Heer. l. sæpius cit. Et quid in excretionibus sive alvinis, sive uterinis non continet? Videmus sanè, excitari in nonnullis diarrhoeas, enormes sæpe, & aliis citra magnum virium dispendium non sufferendas; sed his in bonum. Videmus, experiri fœminas immoderationem mensium fluxum; sed in salutem omnia. In talibus ergò malas exclamare has excretiones velle, quid esset aliud, quam nobilissimam prædicendi Artem prostituere? ex qua insigne contra sibi decus comparabit, quicunque Idiosyncrasiarum rationem habet. Atque hæc ipsius divini senis mens est, quando aph. 23. l. i. ita loquitur: τὰ χωρέοντα μὴ τῷ πλήθει τεκμαίρεσθαι, ἀλλ' ὡς αἱ χωρέη οἰα δεῖ, ηγῆ φέρει ἐυφόρεως. Scilicet fluit hinc usitata illa inter morbos congruos, & non congruos distinctio, quæ

usum certè in prognosi maximum habet , adeò , ut testibus modò laudato Hippocrate , & , qui in illum commentati sunt , Valesio , Ludov. Dureto , & P. Salio Diverso , proprios morbos facilius curari quām alienos , una ex præcipuis prædictionum regula sit . Hinc enim est , quod serosi catharrhis , & quod biliosi diarrhoeis & febribus ardentibus , quod alii aliis morbis facilius tententur , quorum tamen eventum in his non ita timemus , quam si iidem morbi in alia subiecta , natura ad morbos tales non ita disposita incident . Taceo , & ratione ætatis magnam occurrere differentiam . Unde , ut & hoc subjungam , utut pro malo vulgo habetur pulsus intermittens , docet tamen experientia , non in senibus tantum citra morbum eum accidere , sed etiam juvenibus quibusdam eundem esse ordinarium , ceu Willius Pharmac. rational. part. I. pag. 278. id inculcat : possemque propriam hac in re allegare experientiam , dum in puero 6. circiter annorum , in quo laboriosa admodum contingebat variolarum proruptio , qui tamen divinâ aspirante gratia feliciter convalescebat , talem non semel observare mihi licuit .

XXIV.

Ast latè pariter patet usus curatorius . Quod si enim in curis ægrotantium ulla res , certe propria cuiusvis corporis temperies , sive *ἰδιοσυνηρασία* probè venit ponderanda : utpote quæ , ut jam diximus , medendi methodum sæpe variat , & ab arte interdum recedere artis peritum docet . Manet siquidem natura dux optima , nec facile errat , qui illius genio sese accommodat : utque hanc sequentibus omnia facilia , & expedita sunt , sic contra illam , scite scribente Seneca , viventibus

tibus non alia vita est , quam contra aquam navigantibus. Ceu naturali igitur quorundam appetitui interdum aliquid largiendum ; sic vitanda contra studiosè , quæcunque vel visu , vel auditu , potissimum autem , quæ odore , vel sapore ægris nostris adversa esse novimus. Vitanda saepius camphorata , utpote multis ex sequiori sexu subjectis inimica , & substituenda talia , quorum gratior , saltem non molestus ægrotanti odor est. Quemadmodum proin nec moschata aut ambrata omnibus adhibenda ; cum , teste experientiâ , multæ præsertim fœminæ illorum usum non ferant , sed in cephalalgias , vigilias , uterinas passiones hinc incident. Ut adeoq; sit reprehendendus hîc illorū Pharmacopæorum mos , qui in eodem saepe scrinio , in eadem capsula , lapidem Bezoar , & alia pretiosa , & moschum quoque , & ambram asservant : manifestè enim lapidem Bezoardicum ex tali capsulâ desumptum & exhibitum nocuisse , constat. Quod si porrò decumbenti suo rosas bellum indixisse cognoscat Medicus , rosaceorum applicationem intermittat , & commodiora seligat , imò , quantum in se est , à frequenti balsamorum & oleorum fragrantium inunctione sibi caveat , memor illius , Medicum bene olere , si nihil oleat. Quamvis & interdum , quod in hysterics mulieribus passim observatum , arrideant suaveolentia , fastidio sint graveolentia : cui proin ægrotantium genio ubique se accommodasse , operæ pretium erit. Memorabilis certè , & ad probandam thesin abundè faciens est historia , quam Galenus de excellenti ex Peripatheticorum ordine Philosopho recenset : huic enim morbo certo laboranti Medici potum frigidum suadebant ; sed renuit ille potum , regerens ,

regerens , certo certius hac ratione sibi detrimentum allatum iri , & novisse se aliquot similis planè constitutionis , & temperamenti , qui hausto frigido potu perierint ; sed neglectis his Peripatetici argumentis æger gelidum cogebatur assumere , qui tamen vix unico evacuato vitro tetris corripitur convulsionibus , & ad plures allegatur . Patet sanè hinc , quam malè suis ægris consulant , qui nulla ipsorum Idiosyncrasia ratiōne habitâ pressè suæ medendi methodo inhærent , & quantum sit , invitâ ac repugnante naturâ aliquid hic moliri . Agit quidem & naturæ interdum rectorem Medicus ; sed ut plurimum ejus etiam minister audit , cui incumbit præeuntis sibi ducis motum solicitè observare , & quo vergat optima hæc morborum medicatrix , curiosius dispicere , nihilque agere , quod eam in ægri salutem aliquid molientem ullo modo turbet , aut impedit . Placet hīc , cum multorum possem afferre , unius Thoneri , Practici certè exercitatisimi & felicissimi , subnectere suffragium , qui annorum 64 experiētiā edoctus Obs. suarum l. i. de febr. contin. p. 33. juniores præsertim Medicos ita alloquitur . *Id junioribus* , inquit , *seriò observandum inculco* , *ut in sua Praxi* , *præsertim in delicatioribus naturis* , *& sexu fœmineo* , *abstineant ab iis* , *quæ odore vel sapore irritare ac offendere queant* ; *atque id cognoscere licet diligenti cuiusque ægri naturæ disquisitione instituta* . Et porrò eod. libr. de febr. interm. p. 73. ita scribit : *oportet Medicum esse catum & cautum in præscribendis remediis* , *prius diligenter perscrutando cuiusque naturam* , *prout per facultates humanas licet* .

Luculentius autem patescit contemplationis hujus utilitas, si magnam porrò consideremus, quæ in alterandis corporibus occurrit, differentiam; dum alii facile, alii contra difficillime assumtorum vires experiuntur: cuius proin exacta cognitio in molienda imprimis catharsi tutissimam Medico facem præferet. Cum enim sint, qui strictam nimis, valdeque immorigeram habent alvum, nonne illa hinc fluit regula, non semper in lenioribus purgantibus subsistendum, sed interdum ad fortiora, imò fortissima procedendum? Fateor, Sennatta, passulata, tamarindinata, & id genus alia benigna in plurimis subjectis præstanta feliciter exequi, & hinc modo non ubique præferenda: parum tamen in aliis hīc sæpe efficeremus, nisi cammoniata, helleborata, & id genus validiora ad manum essent. Rotundus interdum, quoddici solet, malo nodo quærendus est cuneus: &, ut juxta Coi regulam, l. de loc. in hom. 55. morbis debilibus pharmacis non fortibus, sed fortibus, fortioribus utendum; sic subjectis quidem debilibus debilia, fortiora verò fortibus hic pariter convenient. Pro ratione corporum igitur hæc quoque seligenda, & justa præsertim dosi ægrotanti propinanda. Certè non tam in aliorum remediorum, quam in determinanda purgantium dosi error facilis est: in quantum peccare non semper est dosin supergredi, sed & infra eam subsistendo peccare possumus. Neque enim hīc idem de purgantibus propriè dictis valet, quod de vomitoriis Antimoniatis alias notum est; illa scilicet, etiam si sensibiliter non operentur, magnam tamen vel insensibiliter corpus humore morboſo liberando præstare utilitatem. Aliter longè comparatum est cum purgantibus, utpote quæ, si minori dosi exhibeantur, ut subsistant, præter tormina, & cruciatus, quos ægro excitant, indelebile quoque sæpe vitium humoribus inducunt; id, quod Gregor. Horstius Cas. Chir.

Obs. 26. notabili exemplo confirmat. Temerarium alias & culpandæ audaciæ plenissimum illud fuit tentamen, quo empiricus quidam asciticum, variis jam remediis in cassum tractatum, sequenti pulvere restituit : Rx. Tartar. Vitriol. Æs Gum. Gutt. Æs. Rad. Gialap. el. Æs. Sal. Vitriol. alb. Æs. fol. aur. nō 3. M. F. pulv. quem cum patiens simul, & semel ex cerevisia calida sumisset, & ingentem humoris serosi copiam plus centum dejectionibus per biduum excrevisset, nullo alio adhibito medicamento brevi convaluit; ut vide re est apud Timæum à Guldenk. l. 3. Obs. cas. 25. Quod licet ex Arte proscribendum, & nulli rationali Medico imitandum sit experimentum ; patet tamen vel hinc, quantum inter corpora purgantibus solicitanda sit discriminem; dum multa levibus quidem expugnari possunt præfidiis, ubi contra alia robur quasi, & æs triplex medicamentorum efficaciam opponunt. Non nimis ergò hic timidum esse decet; sed si in uno, vel altero ferreæ ejusmodi naturæ nobis occurrant, fortiora etiam, & subiectis adæquata pharmaca advocanda. Atque sic non tutò saltem, sed & cito pariter, ac jucundè sæpe curatio absolvitur. Id, quod varia celeberrimorum Praætorum monumenta abundè testantur : inter quos unum Thonerum iterum memorâsse sufficiat, qui virgini Göppingensi, diude alvi duritie conquestæ, & aliorum Medicorum præscriptis in cassum tractatæ, sequentes pilulas ex voto cedentes ordinavit, Rx. Extr. panchym. Croll. Æs Extr. pilul. coch. Æi Essent. Scammon. gr. Vij. c. 2q. Meliss. f. pilul. nō is, ceu in append. Observ. de vario purg. gen. id recenset.

XXVI.

Sed cum non omnes robustis ejusmodi lateribus sint præditi, sed alii temperamenti planè diversi & delicatioris naturæ obveniant; graviter contra ab hac parte, si drasticis medicamentis hæc corpora tractare velis, peccari posse nemmo non videt. Scilicet, dari eorum plurimos, quibus nullo fere

ferè negotio alvum movere liceat , per causas modò allatas
cognovimus; nec quotidiana hīc experientia exemplis desti-
tuitur. Exhibere autem his & similibus fortiora purgantia,
quid esset aliud, quam magnum in iis excitare humorum
motum , vires citra necessitatem perdere , & immaturam , i-
mò repentinam sæpe ægrotanti mortem inducere ? Neque
enim , quod nonnulli existimant , illa, quæ per draſtico ejus-
modi educuntur , talia semper in corpore fuerunt , sed talia
potius fiunt , cum certum sit , nimia eorundem operatione
humores laudabiles quoque liquefcere , serescere , corrupti ,
fœtorem nancisci , imò indelebile , nec ullis dein Artis præ-
ſidiis corrigendum vitium suscipere. Id quod Medicinæ ille
Candidatus , Monspelii degens , suo damno expertus , qui ,
cum pingui fatis habitu , plenoq; vultu incederet , cathartico
quodam à Professore ejusdem loci propinato hypercatharsin
tantam incurrit , ut ſecutis octoginta circiter dejectionibus
maciem exin nunquam iterum emendandam contraxerit ;
ceu Borellus Obs. cent. 2, hist. 64, ex ipsius Medici relatione
hoc annotat. Scilicet , ut fortiora fortibus , ſic contra iterum
mollioribus his evacuantia conducunt leniora , talia nempe ,
quæ materiam quidem in his peccantem commode exclu-
dant , interim non maiores motus , quam pro eliminando
noxio opus erat , excitent. Ut bene illi Medicis præſertim
junioribus consulant , qui , quotiescunq; morbi id fert con-
ditio , ſemper à blandioribus purgantibus incipiendum , &
ſuccesſivè demum ad fortiora progrediendum eſſe docent.
Atque ſic procedendo doctissimus Sylvius triginta illis ,
& pluribus , quibus Medicinam fecit , annis nunquam ſe hy-
percatharsin moviffe gloriatur. Et , quod ſi celeberrimo-
rum Practicorum auctoritates hīc dispicio , lenioribus eva-
cuantibus eos omnes ferè delectatos , & invitos ad fortiffi-
morum uſum ascendiffe deprehendo. Evidem , quod Ve-
teres concernit , eos levioribus purgantibus planè caruiffe ,

vulgaris quorundam opinio est. Attamen & his, si non secundum omnem materiam, saltem secundum methodum & cognita eadem, & probata fuisse, in eximia de len. med. exim. usu dissert. egregiè edisserit Excellentissimus Meibomius Artis & Doctrinæ Decus, Præceptor meus ætatem suspicendus. Qui quidem benignis utendi ritus progressu temporis magis, magisque invaluit, adeò, ut saniores haec tenus ubiq; Practici eundem, ceu firmæ experientiæ innixum, fuerint amplexi. Sic familiaris Juliæ nostræ ornamento Cl. Conringio erat pulvis, qui habebat crystall. Tart. Æij Resin. Gi. alap. gr. ij, quo feliciter in curanda Sueciæ Regina utebatur; ceu patet ex consilio ejus Epist. Tim. à Guld. l. 3. inserto. Et quantum præstiterit passulis suis minoribus, uti & prunis laxativis Thonerus, ex observat. Ejus l. 2. ubi pro referanda alvo mirè illa deprædicat, fatis liquet. Ut plurium exempla, quæ in promptu alias essent, nunc non adducam. Vide runt quippe Viri præstantissimi, levibus ut plurimum in statu suo naturali conservari, & ad eum reduci posse corpus; unde, quod facili præstati potuit operâ, id magno agere apparatus, supervacaneum, imò noxiū duxerunt. Quemadmodum idcirco pessimus ille empiricorum, agyrtarum, balneatorum, & id genus medicastrorum mos est, qui nullâ habitâ subjecti ratione fortissima sua, & firmis solummodo lateribus applicanda draistica propinant, hoc ipso demum felices, quod prosperos eorum successus sol aspiciat, adversos, quorum longè maximus sic erit numerus, terra tegat. Verum enim verò si considerarent, qui hujus sunt farinæ homines, quantum sic procedendo & ægrotanti damnum, & conscientiæ suæ offendiculum præberent, methodum hanc in generis humani perniciem natam facile desererent, & intra officii sibi demandati limites lubentes se continerent. Non de lignis hīc, aut lapidibus, sed de humano luditur corio, humano inquam, quod sapientissimus Conditor exa-

& sis

Etissimum bonitatis, & omnipotentiæ suæ speculum esse voluit, quod proin, qui temerè corrumpit, næ gravem is aliquando, nisi resipuerit, delicti pœnam luet. Et manet verum, non aliorum magis, quam evacuantium medicamentorum usu evidentem corpori humano posse creari noxam. Unde Willisius Pharm. rat. part. I. p. 99. solicite adeò monet, ut quisquis vivere, & sanitatem retinere cupit, empiricos cum suis ut plurimum mercurio, elaterio, similibusque paratis drasticis cane pejus & angue devitet. Quemadmodum experientissimus pariter Thonerus in perniciosum hoc hominum genus acerbè invehitur, quando eleganti simul simili illa exigua quidem dosi ingestā, ast mox $\alpha\tau\omega$ $\kappa\alpha\tau\omega$ violentiam suam exserentia purgantia cum Ichneumone comparat, mure scilicet Indico, qui ob insitam cum crocodilo antipathiam in ejus ad littus maris apricantis & hiante riectu dormientis fauces placide se insinuare, & ventrem mox perforare dicitur; ceu hæc legi possunt lib. Ejus 6. ep. 26. Ut prudentissimè idcirco à Magistratu prospectum Italiaz sit, ubi in singulis ferè civitatibus loco publico affixæ conspiciuntur tabulæ, cum inscriptione: *Nomina Medicorum, quibus licitum in hac urbe purgantia præscribere;* ceu Timæus à Guldenk. Obs. I 3. cas. 16. id refert. *Magna enim,* ut ejusdem Timæi verbis finiam, *in molienda catharsi opus est cautione, etiam dodis interdum non satis expedita.*

XXVII.

Quod de purgantibus propriè dictis sic adduximus, id de aliis etiam evacuantium generibus suo modo verum erit. Obtinet id in emeticis quoque; quorum cum iuxta etiam, sed certo effectu non destituta dentur, hæc sanè tanquam tutiora in multis subiectis fortioribus anteponenda. Obtinet id in sudoriferis; in quorum applicatione id utique sollicitè inquirendum, an non fixa præstent volatilibus? Lubens equidem id confiteor, magnam volatilibus inesse penetrans-

ne trandi vim, magnam malignum quoddam ē sanguine expellendi efficaciam. Interim cum sint, qui pessimè eorum usum ferunt, id, quod camphoræ exemplo declaravimus, his penetrantia talia, & activa applicare velle, quid esset aliud, quam ægrotantis damna intendere, &, quod dici solet, oleum igni admovere? Fixa igitur in his ubique præferenda volatilibus; utpote quorū diligenti usu citra magnam humorum commotionem, citra calorem, & symptomatum exacerbationem id pariter obtinetur, quod ab aliis expectare poteras. Taceo, ratione ipsius morbi sæpe non convenire volatilia, ubi verò fixa rem totam absolvunt. Et sic vulgaria illa quidem, sed longo usu comprobata, Carduum benedictum, Rob Sambuci, oculos cancri, cornu cervi, mandib. luc. pisc. & id genusalia, excellentissimis Practicis inter arcana esse video. Quām quidem cautelam de diureticis etiam remediis, quorum alia violentius stimulant, alia abstergendo tantum agunt, &, quod aquositate sua urinam proliciant, tutiora observantur, notâsse operæ pretium erit. Vid. supra citata Cl. Dn. Meibomii de lenior. med. exim. us. dissert. ubi & de fortioribus & acrioribus medicamentis externis non in quibusvis corporibus adhibendis salutare monitum annexitur.

XXIV.

Nec illa tandem, quam de functionibus proposuimus, Idiosyncrasiarum contemplatio fructu suo destituitur. Emergit enim hinc celebris illa, & eximum in Arte usum habens Praxeos regula, Medicum spectatorem interdum age re rectius, quam actorem, & optimam sæpe, secundum divinum senem, Medicinam esse, nulla uti. Sit v. g. ut in expofitum jam de evacuatione menstrua exemplum hæc applicemus, in Plethorae constitutionis fœmina immoderatorem contingere, vel nimietate, vel diuturnitate, vel frequentia mensium fluxum. Quæritur, an fluxus ille curandus,

randus, an sibi relinquendus? Ubi quidem, si bene eum ferat mulier, nec nimium inde debilitetur, eum non attingere, quam intempestiva arte suppressore utique præstat: magna siquidem inter illam, quæ per uterus singulis mensibus excernitur, sanguinis copiam in mulieribus occurrit differentia, sic, ut quæ in nonnullis nimia audit, & Medicam exposcit opem, in aliis maximè naturalis sit, ac ordinaria, nequaquam proin Artis præsidiis impugnanda. Quemadmodum in cæteris etiam evacuationibus, diarrhœis sc. narium hæmorrhagiis, aliisque id pariter obtinet, in quibus non tam exeuntis humoris quantitas, quam euphoria venit respicienda: juxta recensitum jam Hippocr. aphor. l. i. 25. Cumque sint, qui imminutæ functionis respectu diutius in ediam naturaliter tolerant; hi ægrotantes ad cibum sumendum non nimium cogendi, sed sibi potius hac in parte relinquendi. Vulgatum quippe est illud; sobrietate, & abstinentia multi curantur morbi. Quod si ullibi verum, certè in hujusmodi subjectorum affectus id venit applicandum; in quibus nullis magnopere alimentis natura onerata materiam peccantem melius digerit, felicius consumit, & facilius exterminat. Atque sic Aurelium Imperatorem, aliosque, solâ abstinentiâ morbos suos abegisse constat. Tandem, quod & illos, in quibus functio quædam depravatur, concernit; præstat sanè hos, præsertim, si vel primus ortus, vel invenitata consuetudo vitium induxit, non curare, quam curando se, artemque prostituere, &, quod dici solet, sine spe prædæ in scopulo morari. Neque enim natura hac in parte nostris cedit conatibus; quam si, quod in proverbio est, vel furca nitaris expellere, subinde tamen recurrere experientia testis est. Id, quod pluribus propterea non astruo, sed in eo, tanquam in re apud omnes in confessu posita, acquiesco.

XXIX.

Patet tamen vel ex his, magnam esse corporum, quæ
Medico

Medico tractanda obveniunt , differentiam , & propriam sa-
nè ac plane peculiarem naturam , atque hanc proin , si saluta-
rem sibi quis promittere velit eventum , in Arte facienda u-
bivis respiciendam . Quemadmodum enim alias , qui bene
distinguit , bene docere dicitur ; sic potissimum & hīc , qui in-
dividuas variorum ægrorum proprietates sollicitius distin-
guit , is reetè demum curat . Et valet hic quoque egregium
illud , & nunquam satis in Praxi laudandum doctissimi Val-
lesii Judicium , quando meth. med. l.4. c.2. ita loquitur : mul-
ta sunt in Arte Medica , in quibus urgenter causa ab arte rece-
dere ars est . Nam cum sint in ea multa præcepta legitima , &
regularia , perpetua tamen nulla sunt , & qui ullababet pro perpe-
tuis , & in violabilibus , methodicus dici potest , rationalis au-
tem minimè . Nam rationalis non curat ex libello , aut commen-
tario , sed ut in re quavis exercitata ratio didat , &
nullis se legibus , tanquam pragmaticis
obligat .

Et sic claudio : sit hinc Gloria sola Deo !

SIc Medici sensim studii oblectamima sentis !
Namque favet cœptis JULIA clara Tuis.
Gratulor ex animo superatum ritè laborem ;
Propitiusque Deus fit Tibi porrò precor .
Dirigat Is praxin ! Crescat sic Gloria Jovæ ,
Robur & ægrotis , & Tibi firma salus .

*Hac Fratri unico pietatis ergo
apponere voluit*

Conrad Johann Kramer,
S.S. Theol. Stud.